


Felipez de Guzmán, Diego Mexía

Unitas fortis ab excmo D.
marchione de Leganés ...



Tryck // / I25 B I4 c Br. 1627

Tillkomstår 1628

Digitaliserad år 2019



National Library
of Sweden

V N I T A S
F O R T I S

*Hand
Medic
Polit
(M)
1627*

MEJIA

AB EXC^{MO} D.


MARCHIONE DE LEGANÉS
PROVINCIIS BELGICIS FIDELIBVS
PHILIPPI IV.

HISPANIAR. REGIS POTENTISS.

NOMINE PROPOSITA

ANNO M. DC. XXVII.

Politiciſ Sapientum dictis illustravit Ioan. Iac. Chiffle-
tius, cuiſdem Regis Medicus Cubicularius.



ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA.
M. DC. XXVIII.

V N I T A S

F O R T I S

A B E X C ^{MO} D.

M A R C H I O N E D E L E G A N T I S

P R O B O N V S P R I N C E P S


E R G A S V B D I T O S

S I M I L I S E S S E D E B E T

B O N O P A T R I F A M I L I A S

E R G A D O M E S T I C O S .

Chrysanthes.



A N T V E R P I A

E X O F F I C I N A P L A N T I N I A N A

M D C XXVII



X *vetusti aui reliquijs quod profero, Emblema est, Scilurum Principem Scytham numerosâ prole diuitem exprimens: qui dum familiae suae decori, & nominis diuturnitati consulere statuisset, conuocatis ad se filijs suis, iaculorum fasciculum prouectioribus confringendum porrexit, cumque id praeſtare non possent, singula natu minoribus è soluto fasciculo iacula praeſtuit, quae facili negotio, & quasi ludentes perſregerunt. Tunc Pater ad Filios: Si iuncti & concordēs eritis, fortes & inuicti manebitis; si*

4
 contrà dissidijs & seditionibus distra-
 hemini, imbecilles eritis, & ab hoste
 quolibet facilè expugnabimini. *Natos*
suos incultus homo non poterat aptius edocere
vim Concordia: quippe contra quam nulla insi-
dia opportuna sunt, nulla calliditas satis exper-
recta, nulla vis satis valida. VNITAS FOR-
 TIS, DIVISIO FRAGILIS, *ut prafert an-*
tiqua gemma. quæ quidem VNITATEM dicit,
non VNIONEM: quia ut vox hac postrema
minùs Latina est, sic videtur tantùm ad prio-
rem via esse: cum necesse sit, res singulares & dis-
cretas iungi priùs per unionem, quàm una sint
per consensum perfectum, & veram unitatem.

PHILIPPVS Rex noster Catholicus, qui
 tantà curâ medetur incommodis subditorum,
 tantaq; sollicitudine ditionum suarum saluti in-
 vigilat, PARENS illarum dici & haberi opti-
 mo iure debet. Ecce ille PROLES SVAS, id est

REGNA SVA, PROVINCIAS, CIVITATES, *inuitat ad communem Societatem, offert ipsis fasciculum sagittarum, FORTEM VNITATEM; quâ freti deinceps, se suâq; tutentur ab hostibus, eosq; iunctis viribus fundant, mutua sibi auxilia tradentes, ut aliquando tandem, bellicis victorijs, terrâ marique parta PAX illucescat,*

— PAX optima rerum,
 Quas homini nouisse datum est, PAX
 vna triumphis
 Innumeris potior, PAX custodire salutem,
 Et Ciues æquare potens.

Nec verò à Sciluro Scythâ dumtaxat edoctus Rex noster, sociale foedus suis proponit: id ipsum pridem Maiores eius FERDINANDVS & ELISABETHA, potentissimi in Hispaniâ Coniuges, monetâ publicè percussâ Populis ostende-

runt, ubi non hastilia singula, & frangi facilia, sed iuncta simul & colligata videre est; quò scilicet docerent Regna sua Castella, Legionis, & Arragonia, qua tum maximis dissidiis & contentionibus inter se laborabant, quid **FOR-TIS VNITAS** posset, cum fide erga Principes, & armorum concordia.

Singula quæ minimo infringas hastilia nifu,

Non toto inflectas robore nexa simul.

Robore tam firmo stat **FIRMA POTENTIA CONCORDS,**

Quàm facilè infringi dissociata potest.

Sic Imperij sui salutem & securitatem Romani in **FIDE LEGIONVM & CONCORDIA MILITVM** constituebant; non in eâ solum qua in **Exercitus** uniuersi erga **Ducem suum** obedi-

dien-

dientiâ consistit, quâq; sub stolata mulieris typo,
 utrâque manu signa militaria tenentis, in mo-
 netâ Caesarum passim occurrit, sed etiam in fide
 & ope mutuâ, quâ unus Exercitus seu terrâ seu
 mari alterum iuuat, qua dextris duabus iunctis,
 cum prorâ navis, & signo militari, in M. An-
 tonij & Neruæ nummis auersis, eleganter ex-
 pressa est, cum Epigraphe, CONCORDIA
 EXERCITVVM.

Ex quibus perspicuum est, hocce quod Regis
 nostri nomine proponitur, minimè nouum in-
 uentum esse. Idem olim PATRIÆ PATER,
 atque PRINCEPS AVGVSTVS Roma fa-
 ctitauit: cum enim ille (ut Historici tradunt)
 à Marcomannis difficili bello premeretur, neque
 militi conscribendo publicum ararium sufficeret;
 Populus Romanus, pro ratione facultatum, mi-
 litem privato are conscriptum submitit: quo
 subsidio subactis Marcomannis, Imperium Ro-
 manum

8

manum ab imminente ruinâ vindicatum est.
Mutua auxilia Diuina Leges insinuant, Ci-
uiles suadent, Natura ipsa ob oculos ponit, eaq̄
aliunde frustra quis speret, quàm à felici Concor-
diâ, qua bonorum civilium seminarium est,
quietis publicæ seges, & alma pacis nutrix: quod
fusè & eruditè docemur in Ill^{mi} Marchionis
propositione Regiâ: quam è Vernaculo Latinè
redditam, & politicis Sapientum dictis illustra-
tam ac firmatam, (quò rationi maximè consen-
taneam agnoscas) hîc à me Lector habes.



AVDITE
ORDINES,
ANTISTITES,
NOBILES,
MAGISTRATVS.



CUM præteriti temporis experientia docuisset, quàm grauia attulerit detrimenta sinceris Catholici Regis nostri obsequijs, & communibus Regni totius negotijs, exigua in RE MILITARI Prouinciarum Regnorumque in salutem suam securitatemque conspiratio: cumque secum ipse Rex perpenderet, dum in Tarracconensi Regno versaretur, quàm magnas vtilitates, mutua illa voluntatum

*Ubi nullus est
militarium viro-
rum ordo, & cura,
ibi nulli sunt Rei-
publicæ nerui. He-
rodotus.*

B tatum

² *Etiam consensus Reipub. summus, in tuendâ libertate aduersus eos qui illius dominatum inuadunt, nihil prodest absque armis ad eosdem repellendos paratis.*

Tullius.

tatum ² ARMORVMQVE societas, priuatis publicisque rebus allatura esset; rem totam in publicis illius Coronæ Comitijis disceptari primùm, tum deinde ceteris Regnis per primarios ministros suos enuntiari uoluit. Ad Belgicas verò deuotissimas sibi fidelissimasque Prouincias, quarum inprimis securitati studet, & quibus hoc salutare remedium maximè parabatur, Ill^{um} Marchionem de Leganés, suæ Maiestatis Cubicularium, Equitatus Belgici, & ignitarum machinarum in Hispaniâ supremum Præfectum, ex Aulæ intimis vnum, necnon grauissimis pro eius obsequio perfunctum muneribus, delegandum putauit, vt Regium suum in has Prouincias amorem eò testaretur illustrius; vtque is, qui his in Prouincijs ³ INSTITUTESSSET, suamque erga illas propensissimam uoluntatem probasset quàm sapissimè, hoc illis facilius eius Societatis utilitates,

³ *Educatio inter homines frequenter maiorem vim amoris excitat, quàm generatio ipsa prolis.* Euripides.

tates, ex quâ vel maximè Regiam in se benevolentiam agnoscerent, propositis rationibus persuaderet:

Id primùm adducens, militaris huius fœderis beneficio, ⁴ MEDIOCRIS POTENTIÆ Principes, magni momenti negotia suscepisse, & viribus omni exceptione maioribus feliciter obstitisse. Cuius rei exempla ab inuolutâ antiquorum temporum memoriâ repetenda non sunt, cùm ipsi videamus, Partes, si potentiam spectes, vix vni quidem è nostris Provincijs pares, sic iuncto cum externis Principibus fœdere, diuturna cum Catholicâ Maiestate bella gessisse: quod etiam vltimi Germanici tumultus approbant; ex quibus non Imperio tantùm, sed Christianæ toti Republicæ pernicies imminebat, nisi diuina bonitas, peruersa consilia in ⁵AVCTORVM exitium conuertisset.

Potentissimæ Republicæ libertatem suam, non sine fortitudinis &

⁴ *Auxilia humilia, firma consensus facit. Syrus.*

Etiam ignauorum robur in vnum collatum aliquid potest. Homerus.

Concordia, infirmis est potentie causa. Dionys. Halicarn.

⁵ *Humana consilia castigantur, vbi se caelestibus preferunt. Valer. Max.*

⁶ *Fœdera inter diuersas Respublicas, aut mutuus metus, aut mutua equitas conseruat, eaque reddit firma ac diuturna. Thucydides.*

⁷ *Quæ Prouinciæ inter se discordant, facile in cõcordiam adducuntur, ubi commune omnibus periculum, singulorũ Viribus maius, cœperit illis innere. Polybius.*

⁸ *Ob res maximas & iustas inuidiam aliorum subire, non est metuendũ Reip. aut Principi bono. Thucydides.*

prudentiæ laude, eiusmodi cum vicinis Principibus ⁶ F O E D E R I S beneficio, sartam tectamque præstiterere: neque aliã viã nobilissima Regna, per tot sæculorum interualla, pacem adhuc & otium retinent, nisi fœderatorum Principum opibus; quibus illud pro Societatis fundamento est, vt se suasque res auxiliares ipsis exhibeant, quibuscum fœdus copulae; priusque extrema omnia, quàm pactam semel fidem interire patiantur.

Clientes suæ Maiestatis dum feliciter sub tantis auspicijs viuunt, per suasum illud habere debent, plurimos sibi nec imbelles, eosque fœdere inter se consociatos, inhiare ⁷ A D V E R S A R I O S, quorum ⁸ I N V I D I A ex Regis Catholici potentiã atque opibus crescit: qui quidem non minus terrarum solus possidet, quàm omnes simul aduersarij, vt ex geographicis tabulis intelligere pronũ est.

Gra-

Grauiſſimis igitur de cauſis ſua
 Maieſtas, tot ac tantis in ſuam perni-
 ciam ⁹ CONSPIRANTIBVS æmu-
 lis, nouum fœdus opponendum de-
 cernit: vt quia illi ex longinquitate
 terrarum, & diſſipatâ in plures na-
 tiones potentiâ, audendi anſam ca-
 ptant, indidem imminere ſibi rui-
 nam ſentiant, vnde eam nobis ipſi
 moliebantur. Quod ita eueniet, ſi
 non tantùm ad propulſandas aduer-
 ſariorum iniurias, cui cui modi fœdus
 conſciſcamus, quale ¹⁰ IVS GEN-
 TIVM præſcribit, & NATVRA ipſa
 docet, adeoq̃ue BRVTÆ ANIMAN-
 TES, in quibus quæ eamdem natu-
 ram participant, eaſdem etiam partes
 tuentur: verùm etiam, ſi in vnum il-
 lud conſpiremus, vt vnâ victoriâ per-
 nicioſorum hoſtium conſilia diſijcia-
 mus; quæ vtique tamdiu vige-
 bunt, quamdiu nullo nos mutuæ ſocietatis
 vinculo colligatos conſpicient: tum-
 que ijs primùm arma è manibus de-
 fluent,

⁹ *Aduerſus obſti-
 natum hoſtem, eſt
 obſtinatò, & totis
 viribus iunctis,
 pugandũ. Liuius.*

¹⁰ *Illud eſt non
 modò iuſtum, ſed
 etiam neceſſarium,
 cùm vis vi illata
 defenditur; hoc &
 ratio doctis, & ne-
 ceſſitas barbaris,
 & mos gentibus,
 & feris ipſa natu-
 ra præſcripſit. Ci-
 cero.*

*Lapidem è Scyro
 inſulâ integrũ flu-
 ctuare tradunt, eũ-
 dem comminutum
 mergi. Plinius.*

*Rerum elementa
 quid aliud ſunt,
 quàm concordia
 quedam? Dio
 Chryſoſt.*

¹¹ *Vt manus, oculi, pedes, idè bini conditi sunt, ut se adiuent, non impediunt; sic decet collegas consilia, animos & actiones conferre, & concordia esse studiosos. Seneca.*

¹² *Nemo prouocare audet, aut facere iniuriam ei Regno, aut populo, quem intelligit expeditum & promptum ad vindicandum. Vegetius.*

¹³ *Iudice me fraus est concessa repellere fraudem: Armaque in armatos sumere iure licet. Ouidius.*

¹⁴ *Fortitudo que per bella tuetur à barbaris patriam, vel defendit infirmos, vel à latronibus socios, plena iustitia est. Ambrosius.*

fluent, cùm tot Prouincias, velut vnus corporis ¹¹ MEMBRA, tam arcto fœderis nexu coijsse scient, vt vulnus vnus, plagam communem esse, & singulares iniurias communibus armis ¹² PROPVLSANDAS putent.

Atque hæc conspiratio eò persuaderi nobis faciliùs debet, quòd eam leges omnes diuinæ, naturæque & gentium iura communi consensu approbant. Nam quæ lex ¹³ VIM VI repellere prohibet? quinetiam ea causa est, quæ res alioqui prohibitas, legitimas facit; cuiusmodi est, vt tuam serues, alteri non hæretico tantùm, sed Christiano, atque adeò fratri vitam eripere. Neque vlla propositi nostri æquior ratio quærenda est, cùm nihil naturæ consentaneum magis esse possit, quàm vt seipsam ¹⁴ TVEA-TV R: quod ius adeò nobis antiquum est, vt cum illo non homines solùm, sed & ipsæ expertes rationis belluæ

belluæ nascantur, ac iura gentium, legesque in hoc omnes conspirent. Cùm itaque ea sit huiusce consilij ratio, vt suâ seipsam veritate corroboret; id vnum quærendum superest, an quod ¹⁵ IUSTITIAM habere diximus, habeat etiam NECESSITATEM, vt imperitorum quorundam occurratur sermonibus, qui futuros casus non prospiciunt, quibus suamet ipsos exponit incuria.

Sancti Saluatoris ad Sanctorum omnium Baiam incolæ recentia nobis eius rei exempla suppeditant, quibus mille leucis à continenti nostrâ disclusi, Batauicæ pænè rebellionis ignari, dum in altiori pace, & rerum suarum ¹⁶ PRAEFIDENTIA viuunt, vnus diei ruinâ (tametsi sexto iam antè mense præmoniti) à collectitiâ Catholicæ fidei & Catholici Regis hostium turbâ, vrbem suam diripi, profanari ¹⁷ TEMPLA, Dei optimi

maximi, & Regis ministros, ad Hol-

¹⁵ Semper iustum bellum est, quibus omnino necessariū; semper pia arma, quibus nulla nisi in armis spes vitæ posita est, omnibus alijs rebus aquis & iustis tentatis & oblati. Herennius apud Liuium.

¹⁶ Qui propter nimium quietis desiderium, & voluptatis fruitionem segnis est, dum nimium diu quiescit, tandem se suâ quiete priuat, & in periculum adducitur. Corinthij ad socios apud Thucyd.

¹⁷ In vrbibus captis, Religionis diuinæ ergo à templis abstinendum est.

landi-Polybius.

¹⁸ *Securitas, parens ruinae proxima. Demosthenes.*

Nemo celerius opprimitur, quam qui nihil timet; & frequentissimum initium calamitatis, est securitas. Vel leius Paterculus.

¹⁹ *Citius venit periculum cum contemnitur. Seneca.*

²⁰ *Quae gens valet equestri tantum, non etiam pedestri certamine, multa incommoda pati solet. Tacitus.*

²¹ *Magnus est in potente & late patente Regno legionariorum militum usus, nimirum ut in singulis Prouincijs sint aduersus quosuis motus & seditionem parati. Tacitus.*

landicas vsque custodias captiuos abduci viderunt; vt instruenda Regi classis fuerit, quò ea inimicorum colluies inde exturbaretur, vnde arceri solâ futuri præuisione potuisset.

Vnde etiam illud docemur, nullum esse imminentis belli certius indicium ¹⁸ CONFIDENTIA nimia, neglectuque aut ¹⁹ CONTEMPTU armorum hostilium tranquillibus; cum aduersarij in nostram perniciem numquam non vigiles, eò tela intendere soleant, vbi minus clypeorum vident: nec alia prouidentia, pacis tempore, Regnum in tuto retineri posse, nisi ²⁰ PEDESTRIBVS copijs, quæ ad omnes casus expeditæ ²¹ EXCVBENT: alioqui tot Regna tam dissita, ac Prouinciæ, tutæ ab hostium iniquâ vindicatione esse non poterunt, cum illi vnâ cum foederatis, exercitus bellicis rebus eruditos alant, quo Regiæ ditioris terras inuadant, suasque ibi (quod
maxi-

maximè cupiunt) sedes imperiaque
constituant.

Quæ causa expeditum ²² MILI- ²² In magnis Im-
TEM in vnoquoque Regno sub sti- perijs certum nu-
pendijs semper habendum docet, merum militum con-
tum vt singula suæ securitati Regna scriptum ali necesse
inuigilent, tum vt mutuis sese, cum est, qui semper ad
opus erit, auxilijs ex fœdere tuean- quosuis impetus ho-
tur. Neque aliud Regia Maiestas in stium excipiendos
hoc toto negotio spectat, quàm Re- parati sint & ex-
ligionis, & cuiusque Prouinciæ tran- pediti. Herodotus.
quillum statum, qui hac armorum
opumque coniunctione multò erit
firmior, quàm si eæ nullâ inter se So-
cietate coalescant.

Ac si aliæ Respublicæ magnâ reli-
gione, magnisque impendijs, id sibi
necessarium ratæ, militare hoc fœ-
dus, non iam inter conciuces tantum
subditosque (quod Regi curare in
animo est) sed cum externis Princi- ²³ Si membra
pibus Regibusque seruant; quid cau- Regni partesq; in-
ter se erit cur eiusdem Regis subditi, vel- ter se consentient,
ut vnius capitis ²³ MEMBRA, qui ma- constabuntque, cor-
iori lius. pus vniuersum sa-
labre erit. P. Æmi-
lius.

iori amicitiae vinculo constricti esse debent, non ad propriam salutem, communisque hostis excidium, sanctiori foedere coeant? Cum illud vnde quaque certissimum sit, quae ²⁴ IN-IVRIA Castellano Regno infertur, eandem his Prouinciis irrogari; ac vicissim, non posse has Prouincias iniuriam pati (quod & de aliis omnibus aequè verum est) quin ad Castellatum Regnum ea quoque iniuria pertineat.

²⁴ *Qui sapiunt, sociorum seu confederatorum suorum iniurias non negligunt, nec differunt ultionem, cum ipsorum non differatur iniuria.*
Thucydides.

²⁵ *Nulla praelida armis gens, inter se consentiens, vinci ab externo hoste, quamuis feroci, opibusque praestante, potest.* P. Æmilius.

²⁶ *Acerrimus rerum emendator est metus.* Plinius iun.

Res est imperiosa timor. Martialis.

Atque hoc foedus non modò bellum felici exitu concludet, sed ²⁵ PACEM etiam PERENNEM rebus afferet: neque illud dubium est, quin aduersarij, cum singulas ditiones aliarum omnium auxilijs tegi, cum centena aut ducena peditum equitumque millia sub signis esse animaduertent, prouocare vel vnam ex omnibus ²⁶ METVANT, ne omnes concitent; & Catholicae Maiestatis vires reformident, quas antè dissipatas

tas contempserant. Quid, quòd ille
 nexus sanctiori quadam amicitia
 Prouincias omnes, quantumlibet à
 se inuicem distitas, ²⁷ DEVINCIET;
 & pacis bellique communicatio eam
 benevolentiam progignet, quæ in-
 ter confines Prouincias intercedere
 solet? Sanè sicut inter duos amantes
 ea maximè res ²⁸ AMOREM concii-
 liat, si iisdem malis bonisque com-
 municant, mutuamque à se opem
 expectant (quo fit vt fraternam inter
 se concordiam perfruantur;) sic omnes
 Catholico Regi obnoxias nationes,
 hæc auxiliorum communio, germa-
 nam quadam quasi cognatione con-
 stringet.

Quamuis autem Prouinciæ om-
 nes fouere se inuicem ac tueri de-
 beant, & dum aliqua bello vexatur,
 ei ceteræ auxiliari ex quadam officij
 lege teneantur; tamen ea obligatio
²⁹ TACITA & arbitraria est, dum
 statis conditionibus mutuò non ad-
 strin-

²⁷ Inter plures
 diuersas Respubli-
 cas tamdiu socie-
 tas durat, quam-
 diu spes est aliam
 ab alia subsidium
 accepturam esse.

Polybius.

²⁸ Amicitia mu-
 tuis constat officijs.
 Symmachus.

²⁹ Tacita con-
 cordia instar odio-
 rum est. Symma-
 chus.

³⁰ *Vulgus mobile est, & facile damnat, quod antea probarat. Thucydides.*

³¹ *Concordiâ sustinemur, discordiâ pessum imus. Aristot. Plinius.*

³² *Prima in omni benè constitutâ Repub. cura esse debet de verâ Religione. Plato.*

Nihil est in rebus humanis Religione præstantius, idè summâ vi defendenda. Laërtius.

stringitur, nec eam aliâ, quàm propriarum vtilitatum rationes ³⁰ METIRI solent, vt tantum alteri auxiliij præbeas, quantum ab illo speres. Quæ primaria causa est eorum bellorum, quæ nos adhuc infestos habent, habebuntque in posterum, quamdiu eam Societatem coire cunctabimur; quâ vnâ tantis malis ³¹ MEDICINA fieri potest.

Ex his omnibus intelligere licet, mutuæ huius Societatis quanta sit necessitas: siquidem & ³² RELIGIO, pro quâ tuendâ non in subditis tantum sibi Prouincijs, sed in alienis quoque, in quibus pessum ibat, tantum hominum Rex Catholicus pecuniarumque impendit, eâ viâ facilè in tuto erit; & Regna omnia Ditio- nesque æquabili quadam pace perfruentur, ad maiorem Dei Opt. Max. gloriam, & Ecclesiæ tranquillitatem; ad quem vnum finem tota huius deliberationis ratio vltimò spectat.

Quòd

Quòd si hostes nostri propagandæ perfidiæ suæ eam vnam tutissimam rationem esse putarunt, si sub diuersorum Principum signis socialibus, Catholicæ fidei, & Regiæ Maiestati ³³ BELLVM indicerent, cuius consilij publicæ factiones fidem faciunt: quid tandem causæ esse potest, cur nos sub Potentissimi & Legitimi Regis auspicijs, pro salute & libertate communi, meliora fœdera non ineamus? vt eorum discutiantur consilia, qui ³⁴ NVLLO IVRE, nullo etiam iusto obtentu, Regem, Regique addictos populos, apertâ opertâque vi, terrâ marique persequuntur.

Cui etiam rationi plurimum momenti accedet, si perpendamus, Tarraconensè, aliaque Regna, quorum est in præsentì tranquillior status, non aliâ de causâ tam altâ pace perfrui, nisi quia illa Castellæ Regnum suis viribus textit: vnde factum est, vt

³³ Magna Imperia non quiete & ignaviâ retinentur cum laceffuntur, sed virorum armorumque aduersus hostes laceffentes certamine. Tacitus.

³⁴ Hostes seuissimi esse solent, qui nullâ iniuriâ laceffiti ad nos perdendos veniunt. Thucydides.

³⁵ Plerumque accidit, ut quæ Prouinciæ, pecunie parcendo, remota pericula contemnunt, incumbentibus demum malis, desperato sæpè remedio, graviora sentiant detrimenta. P. Iouius.

³⁶ Habet in aduersis auxilia, qui in secundis commodat. Syrus.

³⁷ Is facile in societatem adducitur, cui nobiscum commune periculum esse persuadetur. Xenophon.

qui ea priùs infestabant aduersarij, in has Prouincias aliasque arma conuerterent. Ipsi interea Tarraconenses pacati, per eos sociarum nationum tumultus, ne ³⁵ TERVNCIVM quidem auxiliarem contulerunt, dum vna Castella ducentos minimum milliones effudit; dum hæ ipsæ Prouinciæ tantum impenderunt, quantum hodiernæ angustia probant.

Quæ causa est cur ea Regna & Prouinciæ, quæ tam diurnâ pace potiri se sentiunt, dum illud secum præter æquitatem futurum reputant, nisi quarum profusissimis erogationibus eam pacem indepti sunt, ijs ³⁶ MVTVAM OPEM, & paria beneficia rependant, propositæ huius fœderis Societati nomen dederint: puta Regna Tarraconense, Valentinum, Sardinense, & Maioricense: nec dubium est, quin ³⁷ ALIA quoque OMNIA eidem assensura sint, cum

cùm primùm à Regijs Legatis hæc illis via publicæ pacis tam honesta proponetur.

Catholica & prorsus indubitata propositio est, teneri singula Regna Principibus supremis suppetias ire, atque ad finium defensionem conspirare. Cui obligatio affinis illa est, vt quæ Prouinciæ aliarum beneficio à bellicis tumultibus quietè viuunt,

³⁸ ACCEPTI BENEFICII memoriam, (quod & faciunt) aliquâ significatione testentur: quomodo enim illi iura omnia Diuina & humana non violant, ac indelebilem ingrati animi notam non incurrunt, qui ijs auxiliarem manum ³⁹ DENEGANT, quorum armis, thesauris, atque etiam sanguine pacem emerunt? Vercordis sanè animi, nedum immemoris, & abiectæ cuiusdam ignobilisque indolis est, ijs nihil opis officijque rependere, à quibus omnia accepisti: nec diffiteri quisquam huius senten-

³⁸ *Ius gentium est, quod accepisti reddere. Seneca.*

³⁹ *Eodem animo beneficium datur, quo datur. Beneficium dare qui nescit, iniuste petit. Syrus.*

*4^o Neque Rei-
publicæ felicitas
esse potest, absque
Principis felicitate;
neque Principis
beatitudo, absque
illius quoque.*
Plinius.

*4ⁱ Facile vincuntur ij, qui omnis
sã curã communium,
& publici exercitus
habendi, ad respectum
rerum quisque suarum
auertuntur.*
Liuius.

sententiæ æquitatem potest, nisi qui secum ipse pugnare acquieuerit. Eodemque iure, quid subsidij negare posset ^{4^o} **RESPUBLICA REGI SVO**, ac supremo Principi, cum ille ad subditorum defensionem salutemque sua omnia contulisset?

Ac ne quid earum rationum præmittam, quæ obtendi à quoquam iure possent, si quis illud fortasse prætexeret, posse Regna ^{4ⁱ} **SINGVLA** pro occasione sese ab hostibus tueri, sicque nihil esse, cur eam Societatem coëant, quam Rex requirit: huius oppositionis falsitas vel ex eo statim elucescet, quòd duæ illæ secum pugnantes sententiæ perspicuè appareant, non posse Prouinciam ad repentinas hostium incursiones repellendas, mediocres copias suis expensis alere, & posse eandem diuturnas foederatorum hostium obsidiones sine alienis auxilijs tolerare. Cùm illud alioqui certissimum sit,

ex

ex ijs omnibus Regnis, quæ in Regis
Catholici ditioe sunt, nullum esse
vel opulentissimum, quod ⁴² PER SE
solum tot coniuratis in suam perni-
ciem hostibus obniti possit, siue ob
leuiorem incolarum in ⁴³ RE BEL-
LICA experientiam, siue quòd à mi-
litaribus viris militibusque non satis
instructum sit, quos arcendis hosti-
bus, ad fines suos in præsijs ac sta-
tionibus collocet. Quod in his maxi-
mè Prouincijs magno nostro damno
edocti sumus: quæ vt populosæ sint,
atque ⁴⁴ OPULENTÆ, omnibusque
rebus ad vitam tuendam necessarijs
instructissimæ; non tamen ab infe-
stis hostium cum multis Principibus
fœderatorum impressionibus tutari
adhuc se solæ potuerunt, sed magnis
auxilijs, & vi pecuniarum incredibili
adiuari debuerunt, iuuandæque
erunt in posterum, si diutiùs bellum
protrahi necesse sit.

Quæ causa est præcipua cur sua

D

Ma-

⁴² Vbi nullus
est nobis qui sub-
sistat exercitus, au-
xiliumve ferat, fa-
cile ab hoste victo-
re oppida nostra
etiam munitissima
expugnantur. Li-
uius.

⁴³ Quæ gens de-
suevit iam pridem
arma ferre, facile
vincitur. Liuius.

⁴⁴ Qui populi dices
sunt, & imbelles,
facile aliorum &
præsertim bellico-
sorum vicinorum
prædationibus pa-
tent. Tacitus.

Maiestas & Castellæ Regna in angusto hodie versentur: neque simile vero est, posse illos posthac, his in ⁴⁵ ANGVSTIIS, aliorum laxitati consulere. Atque hæc potissima ratio est, quæ Regiam Clementiam permouit, vt vias omnes indagaret, quibus his tam effusis sumptibus modus adhiberetur, suisque & subditorum suorum commodis consuleretur, quò ij protegi seruarique quàm minimis impendijs possent: nec alia se ad hæc tam salutaria consilia aperuit opportunior, quàm illa de quâ dictum est Concordia, & armorum Societas: quamdiu enim bello vrgebuntur, cetera Catholico Regi obnoxia Regna, ac Prouinciæ, vixena peditum, equitum quaterna milia auxiliaria ipsis alere ac ⁴⁶ PRÆBERE tenebuntur: atque ita huius fœderis primas vtilitates hæ Prouinciæ percipient, nullo suo, vel minimo sumptu; eâ solùm conditione, vt in

⁴⁵ Post magnas calamitates acceptas, sumptus publici privatiq; coercendi sunt ac moderandi, vt pecunia suppetat ad publica negotia; imò etiam potestas extraordinaria, quæ maturè occurrat incommodis, vel potiùs noua decernenda. Thucydides.

⁴⁶ Nouis socijs laborantibus, auxilium statim, quò magis nobis conciliantur, ferendum est. Xenophon.

in fœdus istud consentiant, spondeantque (cùm ipsæ firmatâ pace à bellis quieuerint) si qua alia ex fœderatis Regna, Prouinciasque, bello tentari contigerit, subsidio se illis adfuturas, cum eo armatorum numero, quem ex pactione sub stipendijs alere tenebuntur.

Totius⁴⁷ SOCIETATIS hæc forma erit:

Castellæ Regna, vnà cum Indijs, quadragintaquatuor ad omnem Regis nutum expedita hominum milia sub signis se habitura profitentur. ———— 44000.

Belgicæ Prouinciæ fideles exhibeant ———— 12000.

Tarraconense Regnum 10000.

Regnum Valentiaë ———— 6000.

Regnum Catalauniæ ———— 16000.

Regnum Lusitaniæ ———— 16000.

Regnum Neapolitanum 16000.

Regnum Siciliaë ———— 6000.

Ducatus Mediolanensis 8000.

47 Est prudentissimi Principis scire & descripta habere, quæ vectigalia Respub. habeat, quantas & quot militum copias, quot & quales societates, quot classes, quot largitiones. Tacitus.

Insulæ Oceani, & Mediterranei
maris ———— 6000.

Summa est 140000.

Quamuis ingens hic peditum nu-
merus videatur, illud tamen atten-
dendum est magni referre, vt intel-
ligant quoque aduersarij, harum co-
piarum ⁴⁸ AD REM GERENDAM
quanta sit conspiratio: quò nimirum
abstinere discant à ⁴⁹ LACESSENDIS
tantis viribus; quod hætenus impu-
nè nimis audaciterque tentarunt.

⁴⁸ Ostendite modò
bellum, pacem ha-
bebitis; videant
vos paratos ad
vim, ius ipsi re-
mittent. Manl.
apud Plut.

⁴⁹ Vicinis in nos
coniurantibus, ma-
turè ostentandus
exercitus, & in
eos ducendus, vt
eosdem spectantes
ad arma, metus
exercitus nostri op-
primat. Liuius.

⁵⁰ Scire oportet
quæ sint fructuo-
sissima, & vbi, &
quomodo; vt equo-
rum paratio qua-
lis, & reliquorum
animantium. Ari-
stoteles.

Nec minor esse debuit numerus, vt
in ratas portiones, & idonea auxilia
diriberi posset: cùm alioqui non vi-
deatur euenturum vñquam, vt tan-
tam vim militum simul & semel præ-
lio exponere necesse sit. Et quia de
⁵⁰ EQVITATV nihil dixi, ille ijs in
terris conscribetur, vbi optimus erit;
ita tamen vt eius & numerus &
sumptus ex peditatus summâ dedu-
cendus sit.

Ex eo armatorum numero sua
Ma-

Maiestas Prouincijs Regnisve bello impeditis, viginti peditum, equitum quaterna millia (quibus pro ratâ portione à pacatis Regionibus sua æra procedent) in subsidium mittet. Atque ita cùm Belgicæ Prouinciæ præsentibus bellis afflictentur, viginti ipsæ peditum, quatuor equitum millibus ^{SI} IVVABVNTVR: neque aliud ab ijs in præsens exigetur, nisi vt cùm ijs pacem tempus attulerit, atque aliqua ex Prouincijs fœderatis bello vrgebitur, (exemplum esto Ducatus Mediolanensis) tum ij suis stipendijs quingentos circiter pedites supra bis mille, omnes eorum locorum indigenas, vbi conscripti fuerint (quibus etiam à quæstoribus indidem oriundis numerari stipendia debebunt) ad eam Prouinciam diligenter fideliterque summittant.

Sed & si illud accidat, vt transire in alienam Prouinciam miles ad præscriptum numerum aut nequeat, aut

^{SI} Sic onus belli leuius erit, cùm suam singula, & otiosæ Prouinciæ partem ferent. CH.

30

⁵² Miles qui in-
uitus & coactus
pugnat, facile vin-
citur. Lilius.

nolit; (neque enim ille miles efficax
censendus est, qui ⁵² COACTVS mi-
litia nomen dederit) tum verò cu-
randum erit, vt in alijs Regionibus
conscribatur, eâ lege, vt Præfecti ac

⁵³ Hostes nostros
terret, si non tan-
tum à socijs nostris
bellicosus accipimus
milites, sed etiam
belli strenuos Du-
ces. Thucydides.

⁵³ DVCES, eorum locorum, quo-
rum sumptibus alentur, indige-
næ sint.

Ex quo perspicere licet, ad Belgi-
carum maximè Prouinciæ emolu-
mentum hæc consilia spectare,
quòd bello magis pateant, pluribus-
que vndequaue hostilium incur-
sionum periculis expositæ sint, quàm
alia vlla fœdere sociata Regna aut
Prouinciæ. Nimirum cetera omnia
Rex Catholicus posthabenda cen-
suit, vt & ⁵⁴ CATHOLICÆ RELI-
GIONIS, & eorum tutelæ prospice-
ret: adeò vt cùm tot alias Ditiones
possideat; præcipuè tamen (quæ eius
ingenita clementia est) harum Pro-
uinciæ (quas vtique adeò fideles
⁵⁵ OBSEQVENTESQUE expertus
est,

⁵⁴ Vbi pietas
pro scopo, & fine
& regulâ actio-
num nostrarum pro-
ponitur, ibi omnia
rectè fiunt, &
conuenienter. A-
gaperus.

⁵⁵ Firmissimum
est Imperium, quo
obedientes gau-
dent. L. Furius.

est, vt fidelitatis exemplo reliquis
præluxerint) commodis & vtilitati-
bus cautum esse voluerit.

Atque ita quod ab his ⁵⁶ PROVINCIIIS POSTVLATVR, vnum illud est, vt in Societatem propositam eâ alacritate coëant, quâ ceteros Regios nutus anteuertere solent: vt quemadmodum suum in hâs Prouincias amorem, hac in Societate procurandâ, Rex exhibet; ita illè vicissim suam fidem in Regem, & in Regios clientes affectum, in eâ approbandâ redhibeant: quæ quidem eò extabit illustrior, quò ⁵⁷ PROMPTIVS militare hoc foëdus suo calculo firmauerint; vt Ill^{mus} Marchio de Leganés dimitti quamprimùm, & ex nuntijs ad Regem delatis de ipsarum consensione, inuitari alia nondum foëdere copulata Regna ad eandem Societatem possint. Quâ in re Tarraconense, Valentinum, Sardinienense, & Maioricense Regna vltro magnaquæ voluntate præ-

⁵⁶ *Belgarum decus istud & claritudo sit, subuenisse Romano nomini.*
Tacitus.

⁵⁷ *Tardum est, differre quod placet.* Petronius.

32

præière : idque ab alijs quoque Regnis ac Prouincijs impetratum dicitur ; adè vt quæ ex his iam confociatis populis pecuniarum summa collecta est, ad multos auri millones pertingat : quod beneficium eas Regiones spectat, quæ bellis implicitæ sunt, vt nunc Belgicæ ; à quibus gratiæ loco id solum nunc exigitur, vt

chirographo fidem suam obstringant, si propitio Numine (quod Regi maximè in votis est) bellum à suis finibus propulsauerint, tum ad rependendam vicem, ex duodecim, quæ diximus, hominum milibus militem ac pecuniam pro ratâ parte repræsentaturas. Illud interea reputent, quàm benè sic ⁵⁸ PACEM empturæ sint ; cùm sedatis quidem suis tumultibus, quietæ nihilominus cum hac collatione victuræ sint, & expeditos ad omnem regionem ⁵⁹ COMMERCIORVM vsus habituræ ; stante autem bello, perpetuam à fœ-

⁵⁸ Melior tu-
tiorque certa pax,
quàm sperata vi-
ctoria ; illa in tuâ,
hæc in Deorum ma-
nu est. Liuius.

⁵⁹ Est boni Prin-
cipis curare, vt iti-
nera, portus, &
commercia sint in
Regno tuta & li-
bera. Plinius.

à foederatis Regnis ac Prouincijs sub-
fidiorum opem experturæ sint.

Denique vt paucis rem totam ab-
soluam, vnum illud à Prouincijs Bel-
gicis Regia Maiestas expetit, vt pro-
positam Societatem ineant, ac fidem
suam scripto deuinciant, vbi pri-
mùm à bellis respirauerint, alijs se
Prouincijs bello laborantibus pro
ratâ portione auxiliaturas; habitâ ni-
mirum ratione eius, de quo diximus,
numeri peditum viginti millium, &
quaternorum millium equitum.

Neque aliâ lege in præsens tenebun-
tur, quàm vt paratis à ⁶⁰ FOEDERA-
TA SOCIETATE suppetijs per-
fruantur. Quæ res si à Rege non pro-
poneretur, ab ijs vltrò ⁶¹ EXPETEN-
DA fuerat. Ex his verò fiet, vt num-
quam Prouincijs miles, numquam
militi ad dictam diem ⁶² STIPEN-
DIA defint: atque illud prætereà, vt
viginti peditum millia, cum equiti-
bus quater mille, plus rei gestura
E sint,

⁶⁰ *Utilitas, no-
dus est & vincu-
lum fœderis. Li-
uius.*

⁶¹ *Gratius est
quod sponte nasci-
tur sua. Dial. de
Oratoribus.*

⁶² *Nisi stipen-
dia militibus, præ-
sertim extraneis,
persoluantur, sta-
tim illi dilabuntur,
ac proptereà facile
regio patet hosti.
Polybius.*

34
 sint, quàm altero tanto numerosior,
 sed malè numeratus miles: quia scili-
 cet inde inopia sequitur, inopiam
 perfidia; hanc ea mala, quæ nos ad-
 huc infestos habuere.

⁶³ *Concordibus
 non solum impe-
 rium gerentes, sed
 etiam Dij atten-
 dunt. Dio Prusæus.*

⁶³ SVFFRAGIA, illudque petit, vt
 in eam partem, ex quâ plurimum
 Deo gloriæ, suæ Maiestati obsequij,
 suis denique omnibus Ditionibus se-
 curitatis ac beatæ tranquillitatis re-
 dundaturum est, pronis voluntati-
 bus consentiatis.

D I X I.



FIDE-



IDELES omnes Imperij Belgici
 Provincias, Catholica M^{is} no-
 mine obiit Exc^{mus} Marchio de
 Leganés; à quibus vir comis, vul-
 tu, incessu & sermone gratissimus, humanissi-
 mè, & ambabus, ut aiunt, ulnis exceptus est.
 Regia voluntati & propositioni assensere om-
 nes, & FORTI VNITATI dedere nomen;
 tanti fuit Legatum prudentem, rerum & lo-
 corum gnarum misisse. Ad hoc, cogitarunt Or-
 dines veterem Arati sententiam: Existimabat
 ille (Plutarcho referente) urbes singulas imbel-
 les (idem de Regnis & Provincijs dictum puta)
 mutuò seruari, tamquam illigatas publico com-
 modo: ac quemadmodum membra corporis vi-
 uentia & conspirantia, propterea quòd inuicem
 innata sibi haerent, si quod eorum auellatur, &
 à ceteris separetur, non alitur amplius, sed ta-
 bescit; ita urbes censebat, ab ijs quæ Rempubli-

36
*cam diuellerent, perdi; augeri autem unam ab
 aliâ, & omnes mutuo, cum veluti magni ali-
 cuius corporis partes communem haberent pro-
 curationem.*

*Occurrit præterea Ordinibus aureum Aristi-
 dis ad Rhodios dictum; de quavis re aliâ in
 vtramque partem disputari posse, de
 CONCORDIA neminem vumquam con-
 tendisse. Illam Omnes, Omnes, pro communi
 aduersus hostes tuitione palam professi sunt, emis-
 so Prudentij p̄j & Christiani Poëtæ VOTO:*

*Quod sapimus, coniungat amor; quod
 viuimus, vno*

*Conspiret studio: NIL DISSOCIABI-
 LE FIRMVM EST.*



A P P R O B A T I O.

VNITAS hæc FORTIS, ab Exc^{mo} D. Marchione de Leganés Prouinciis Belgicis fidelibus PHILIPPI IV. Hispaniarum Regis Potentiff. nomine proposita, & Politicis Sapientum dictis illustrata per Ioan. Iac. Chiffletium eiusdem Regis Medicum Cubicularium, quandoquidem Religionis augmentum, felicem belli exitum, & tranquillum Patriæ statum cum perenni pace nobis promittat, meritò totius Reipub. Christianæ commodo typis mandabitur. Antuerpiæ XVII. Kal. Febr. M. DC. XXVIII.

*Zegerus van Hontsum, Canonicus
& Pœnitentiarius Antuerpiensis,
librorum Censor.*

ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA
BALTHASARIS MORETI.
M. DC. XXVIII.



A

